VI.—DE QUIBUSDAM LOCIS PRIMI HORATI SERMONIS.

In primis ipsis versibus mihi quidem constructio non plane ab editoribus exposita esse videtur. Versus Horati sic traditi sunt:

> Qui fit, Maecenas, ut nemo quam sibi sortem
> seu ratio dederit seu fors obiecerit illa
> contentus vivat, laudet diversa sequentis?

Hoc in loco, nisi animus me magnopere fefellit, duae constructiones inter se re vera distinctae ab Horatio coniunctae vel potius confusae sunt, namque mihi videtur Horatius sententiam exprimere potuisse si dixisset aut *quam ei* (fortasse *sibi*, quamquam hac de re dubito: vide infra) *vel ratio dederit vel fors obiecerit illa contentus vivat* aut *sorte sua seu ratio ei* (*sibi*) *dederit seu fors obiecerit* et quae secuntur, id est Horatium oportebat sententiam aut modo condicionali aut modo relativo exprimere. Hos modos dicendi conflavit. Auctores Latini saepe sic modos inter se dissimiles dicendi conflare solent, id quod intellegere possis si editionis meae Indicem Aeneidos inspexeris, sub titulo *Confusion*, pag. 537.

Ut iam ad verbum quod est *sibi* redeam, hic mihi Horatius perperam scripsisse videtur nisi dicere ausi erimus verba *quam . . . dederit* idem valere atque *quam sibi* (seu) *ratione dederit.* Mirum est haec tam confusa verba ab editoribus recentioribus quidem praeterita esse.

In versu quadragesimo verba quae sunt *dum ne sit te ditior alter* extant. Quid significat *dum?* Editores plerique qui quidem hoc de verbo dicere sunt ausi Anglice *dum* reddere solent *provided.* Sed mihi quidem hoc non recte dici videtur namque non consentaneum est Anglice *he works provided no man is richer than he* nec Latine dicere possis *nil tibi obstat si modo non est alter te ditior*, quomodo enim diiudicare possis utrum alter te ditior futurus sit necne priusquam ad finem laboraris?

Hunc potius in modum locus explicari debere videtur. Iam a verbo *dum* oratio obliqua incipit, ut verba *dum . . . alter* senten-

tiae *dum ne me sit ditior alter* respondeant quam avarum illum Horatianum secum loqui nos fingere oportet. In Plauti Captivorum prologo versus hic inest (32):

> Nil pretio parsit filio dum parceret.

Hegio ipse dicere potuit, *pretio non parcam filio dum parcam* (*vel parcere possim*). Nemo prorsus non scit quam saepe *dum*, praecipue apud scriptores antiquiores et in sermone cotidiano, cum modis et imperativo et coniunctivo coniungatur.

Similiter explicari possunt Terenti Andr. 675–677:

> Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
> conari manibus pedibus noctisque et dies,
> capitis periclum adire, *dum prosim tibi.*

Hoc in loco sane orationem rectam quae sic vocatur habemus. Denique apud Livium 21. 26. 9 haec verba legimus: deinde et ipsi milites simul copia materiae simul facilitate operis inducti alveos informes, nihil *dummodo innare aquae et capere onera possent,* curantes, raptim quibus se suaque transveherent, faciebant.

Decem ante annis in Mnemosyne (Nova Series 30. 347) Professor Mortimer Lamson Earle, olim collega meus, vir utriusque linguae doctissimus, de versu undevicesimo disseruit atque nos admonuit non *atqui licet esse beatis* sed *at quis licet esse beatis* legendum esse atque post verbum *beatis* non interpungendum et hanc clausulam non per se recitandam sed cum verbis insequentibus coniungendam esse.

Mihi quidem haec emendatio neque recta neque venusta esse videtur. Accuratius inspiciamus quidnam Horatius dicere sit conatus. In versibus 1–3, cum pro certo haberet et Maecenatem ipsum et ceteros sua sorte contentos vivere negaturos esse, haec adfirmare non necessarium putavit sed potius statim ab interrogando incipit cur nemo sit contentus. Versus 4–19 Horatius scripsit non ut neminem contentum esse demonstraret neque ut exempla huius rei adhiberet, nam cum, ut iam supra dictum est, hanc rem in primis poeta poneret, neque necesse neque consentaneum erat eam aut demonstrare aut inlustrare. Quidnam igitur his in versibus dicere Horatius conatur? Quaestioni quam in versibus 1–3 expressit responsum explicare iam conatur atque intelligi vult fieri ut nemo contentus vivat non quod suam sortem ipsam re vera reprehendat (4–19) sed quia

fructu quem ex sua sorte capiat non sit contentus (28–40). Mirum autem est quamquam homines quisque sua sorte non contentus esse videtur nihilo minus suam aliena sortem mutare neminem paratum esse, qua de causa animi confusus Horatius exclamat *atqui licet esse beatis!* Mea quidem sententia verba *nolint: atqui licet esse beatis!* (sic enim potius est interpungendum) idem valent atque *mirabile dictu nolint*!! Sic si lectionem traditam interpretati erimus, bis in versibus 20–22 hominum inconstantiam Horatius reprehendit; sin cum Earlio nostro fecerimus semel tantum hoc Horatius faciat atque constructio ipsa et ordo verborum obscurissimae fient neque Horatio similes.

CHARLES KNAPP.